bilis operis. Hec tamen Pompeium latuere. A Pharnace uero po-
stea comperta|re|qui hec abstulerunt penitus affecti. Pompeius
rebus illic compositis pacatisque iter sumpsit: festos continuo
agens dies: ad Mithelene profectus Theophanis gratia ciuita-
tem liberat: ibique scenicos poetas inspexit: iam tum ipsius ge-
sta materiam habentes. Hic theatri formam admiratus e-
ius similitudinem typumque stilo expressit per simile romae
conditurus. licet maius atque speciosius. Cum rhodi adesset
professores liberalium: omnes audire curauit & preceptori
cuique talentum dono dedit. hinc possidonius Phylosophus
ad hermagoram oratorem scripsit Pompeium se audiuisse:
singulaque uir ille narrauit: quae tum in ea conuentione que-
sita fuere. Eadem in athenis circa phylosophos egit. Inde ad
ornatum|urbisque eius architecturam quinquaginta talentis
dimissis in italiam festinat. sperans omnium splendidissi-
mus illam attingere. Sed quod fieri solet plerumque inter pre-
clara & splendida hominum gesta ut fortuna semper in-
faustum quiddam afferre curet: id iam diu preparatum
fuerat: ad illius reditum tristius agendum. Mutia enim Pom- Mutia. Po. uxor
peii abscessum: ignominia domum turbauit Pompeiusque
dum in remotis ageret id neglexit: sed italiam cum iam
attingeret: impensiori cura: rumori insistens: quod ut opinan-
dum est causam magis apprehendit: repudium illi dedit
neque tunc neque postea cur eam repudiasset fassus. huius ta-
men rei causa apud epistolas ciceronis patet. Ceterum de re-
ditu Pompeii uarii rumores urbem compleuere tumultus-
que hinc non paruus exortus. quod ducturus hic in urbem es-
set exercitum: & monarchia extemplo ineunda. Crassus e- crassus
tiam liberis pecuniisque ad se receptis ab urbe abiit seu uero
compulsus metu: seu ut magis creditum est: ad prestandam
rumori & obtrectationi fidem: inuidiamque in Pompeium
exasperandam. Pompeius autem italiam ingressus militibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_918/0161
MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG